

**S**i desit iudicibus auctoritas coercendi rebelles: frustra legislatio fiet. Semp̄ em̄ nitimur in vitium: et nisi coacti p̄ceptis reluctamur. Nā vbi nō est metus potestatis: cōditio iuris cito cōtemnitur. Cōseruatio ergo legis: timor est potestatis. Vbi autē remissio potestatis dissimulat: vigor iuris vacillat. Cōstitutio em̄ quātūlibet sancta vel necessaria: in obliuionē cito rapitur: si desit auctoritas qua contemptus puniatur. Tolle potestatem et aliud nō erit respublica: q̄ plena seditionis cōfusio. Rustica em̄ feritas: ratione nō ducitur: māsuētudine nō sedatur. Inter nostros quoq̄ (deus emendet) multi sunt abbates et monachi: rusticis grossiores: bestijs immitiores. qui ad obseruantiam mandatorū dei et regule māsuētudine nō flectuntur: exhortationibus quātūlibet sanctis nūq̄ psuadentur. His si auctoritas p̄sidentium non obuiauerit: nulla vnq̄ obedientia capituli ducerent. Ob eā causam summi pontifices. hui⁹ sacratissimi puincialis capli fundatores. multa nobis opportuna statuerunt remedia: quibus ad subuentionē ordinis subiectos caplo abbates possimus cōpellere. Habemus auctoritatē: de potestate hesitamus. Et q̄d valet auctoritas. sine potestate? Si vultis ornatissimi patres vt apertius dicā. q̄d de potestate auctoritatis figurare voluerim: dabitur veniā si pusillanimitatem vestrā (ne dicā negligentiam) notauero. Ecce centū viginti septem abbacias sub nostro caplo puinciali constitutas agnouimus: sed non ab om̄ibus subsidia cōtributionis debite accipimus. Quare hoc? Auctoritatē exigendi recipimus: sed potestatem non exercemus. Sponte oblata recipimus: inobedientes cogere formidamus. Certus sum etenim q̄ multi abbates nre puincie ad subuentionē ordinis nihil cōtribuūt: immo si requirantur quasi ex p̄scriptione cōtradiciūt. Quid est q̄d facimus? Quare rā diu dissimulamus? Sponte currenti adhibemus calcaria: tacenti immo recalcitranti nec verbera quidē apponimus. Hinc statutorum nostrorū cōtemptus nascitur: